

- ter non diuiditur inter colonum & Dominum. Quod tamen tribus modis limitatur.
- 42 Lucrum & damnum diuiditur secundum quod conuentum fuit, & quomodo hoc procedat declaratur.
- 43 In qualibet societate pacisci potest de parte lucri & damni.
- 44 Valet pactum in societate vt ponens pecuniam certam partem habeat lucri, licet, nullum sit lucrum.
- 45 Pactum valet in societate, vt ponens pecuniam sentiat totum damnum, & lucrum sit commune, & secundum hoc pactum facienda erit diuisio.
- 46 Pactum quod damnum capitalis sit solum ponentis operas, & quod capitale saluum ponenti restituatur, non valet, & est usurarium.
- 47 Non valet tale pactum quod capitale vnius sit saluum, etiam in societate in qua socij equaliter pecuniam posuerunt.
- 48 Anima ceteris rebus est preferenda.
- 49 Pacisci non potest quod nec pars capitalis salua remaneat.
- 50 In foccica animalium pacisci non potest de capitali saluo.
- 51 Contrarium ponitur; & conciliatur.
- 52 Sors principalis non diuiditur, sed tota, si integra permanserit, restituitur socio qui illam posuit & num. 59. contrariam gl. sententia ponitur, & refutatur cum distinctione.
- 53 In foccica animalium Vaccæ remanent precipue Domino, fructus autem earum diuiduntur equaliter.
- 54 Societas committitur in fructibus fundi cū Colono, et fundus remanet Domino.
- 55 Damnum sortis principalis non diuiditur inter socios, quorum vnus posuerit pecuniam, alter operas; sed totum est socij ponentis pecuniam. Quid autem dicendum sit quando conuentum fuerit quod etiam ponens operas sentiat damnum illius sortis principalis, traditur remissiuè.
- 56 Diuisio sortis principalis equalis esse debet, quando socij pacti fuissent inter eos, vt finita societate sors principalis equaliter diuidatur.
- 57 Item quando hoc requirit consuetudo.
- 58 Item quando pactum adiectum fuerit quod periculum pecunie sit commune, tacite enim hoc casu actum intelligitur, vt etiam ipsa pecunia principalis fiat communis.
- 60 Capitale de consuetudine non communicatur.
- 61 Diuisio fructuum equalis esse non debet quando plures sunt socij vel fratres, quorum vnus separatim ponit lucra, alij vero agros laborant. Et ibi qualiter sit facienda diuisio.
- 62 Diuisio damni & lucri equalis non fit, quando alter eorum societati renuncia- ret malitiosa.
- 63 Item quando renuntiaret ante tempus.
- 64 Damnum quod euenit ex noua socij negociatione ipsi socio attribuitur, non societati.

- 65 Equalis diuisio non erit quando socius societatem absenti renunciat.
- 66 Fratres & socij omnium bonorum, qui clam emunt possessionem, vel aliquid aliud, tacite videntur renunciare societati. Et ibi quomodo inter se diuide- re debent, traditur.

## CAPVT VNDECIMVM.

## De diuisione.

**D**Amnum & lucrum esse communicandum dixi hucusq; superi-  
rioribus capitibus: & modò quomodo partes damni & lucri  
sint faciendæ inter socios, hic Deo dante subnectam.

Sit itaq; in hoc cap. regula quod partes damni & lucri debeant inter  
socios esse æquales: Hanc probat Imperator & Doctores in titu. inst. de  
societ. in prin. & Armil. ver. societas numero 1. vbi aliàs illicitam esse di-  
cit societatem; & apertius in l. si non fuerint. ff. pro soc. ibi: si non fuerint  
partes societatis adiectæ, æquas eas esse constat: & Azor. inst. mor. p. 3.  
de soc. & mand. lib. 9. c. 2. in prin. vbi loquens de societate negociationis,  
dicit secundam conditionem societatis esse, vt seruetur æqualitas, ni-  
mirum vt sociorum sint æqualiter communes impensæ, lucra, & dama-  
na; & Bal. in l. i. C. pro soc. Bal. cons. incip. in Christi nomine Amen lucra so-  
cialia æqualiter, & Menoch. de arbit. lib. 2. cent. 2. cas. 125. num. 2. vbi quan-  
do simpliciter est contracta societas, partes æquales esse debere dicit, &  
declarat.

Societas enim habet vinculum fraternitatis, gl. in l. fin. C. de positi, & l.  
2. verum, in pri. & ibi Bart. in 1. not. ff. pro socio, Specul. de iudic. S. specialiter ad  
finem, Quare sicut frater debet naturaliter procurare commodum fra-  
tris, l. creditor, S. si. ff. mandati. Ita & socius commune lucrum, l. si nego-  
cia, ff. de neg. gestis.

Amplia primo regulam procedere non solum quando in societate, so-  
cij æquale capitale posuerunt, verum etiam quando inæquale. Nam &  
tunc partes lucri & damni debere esse æqualis, iuxta scilicet quantita-  
tem capitalis, voluit Azor. loco citat. vbi dicit quod quisque pro rata  
portione quam in commune confert lucrum reportare, damnum susti-  
nere, & impensas facere debet. & tenet Oinot. in inst. de societ. in prin.  
num. 11. vbi dicit quod licet is qui plus ponit in societate, siue pecunie,  
siue periculi, plus lucri etiam sentiat, hæc tamen dicuntur partes æquales  
ratione & respectu sortis, siue ratione periculi, & industria maioris;  
Nam qui de industria, & opera plus ponit, plus de fructibus percipere  
debet, l. si societatem mecum, & l. quid enim, ff. pro soc. & hoc tradere viden-  
tur esse de natura societatis. Armil. verb. societ. num. 1. & nu. 11. Vbi ma-  
iorem vtilitatem ex lucro percipit, qui maiorem posuit pecuniam, vel

operas, & in hoc standum esse arbitrio iudicis subiungit, licet in pactis non sit expressum, & *Ang. Aret. in st. de societ. §. de illa num. 5.* vbi dicit quod quando vnus minorem quantitatem quam alter posuit in societate, tunc pro seruanda æqualitate, partes damni & lucri debent esse æquales in quotitate non in quantitate, & rationem adducit quia tacite inter socios videtur conuentum, vt qui plus pecuniæ ponit, & plus periculi sustinet, plus etiam emolumentis speret; in quo tamen subiungit esse ad arbitrium iudicis recurrendum *secundum Bal. ab eo. relatus.* Pro hac ampliacione facit etiam *tex. in l. quid enim, ff. pro socio, & l. manifestissimi, §. cum in secunda, C. de furt. & d. l. si non fuerint.* & hanc sustinent *Ioan. de Anic. cons. 62. nu. 4. & Pet. Ferar. in for. lib. in cau. soc. cap. 2. circ. med.* vbi post hæc docet quid faciendum sit si socij fortasse nescient se inuicem conuenire super partibus lucri & damni.

Amplia secundo regulam procedere etiam si pactum inter socios fuerit, vt vnus sociorum totum lucrum sentiret, nam tale pactum non valere, tenet *Oinot. in st. lib. 3. de societ. §. de illa num. 3. & dixi superius. de lucro ampliati. 4. num. 9. & est Ang. Aret. in st. de societ. §. de illa num. 6.*

Amplia tertio regulam supradictam procedere etiam in societate animalium, quam vulgò socitam appellant: in hac enim conditio est, vt singuli ex æquo participent lucrum & damnum, *Azor. in st. mor. lib. 9. part. 3. de societ. cap. 8. ver. 10. quod idem repetit ver. decimo quarto, vt seruetur id quod habetur in l. secundum naturam, ff. de reg. iur. videlicet (inquit ipse) vt socij in lucro & damno sint pares, hoc est quo quisq; plus minusue ex suo in societatem dederit, plus minusq; damni, lucruue participet; quod etiam asserit procedere, vers. 13. quæritur, quando aliquis dat in socitam animalia, & simul dant agrum quod aret & colat.*

Restringe tamen hanc ampliacionem quando aliter esset pactum, vel quando aliter esset consuetudo; Nam in societatibus intelligitur semper actum esse quod solitum est fieri. *Azor. loc. cit. d. vers. decimo quarto per l. quod si nolit, §. quia assidua, ff. de edil. ed. & faciunt tradita per Bal. in l. 1. q. 2. C. pro socio, & per Armil. ver. societas, num. 4.* vbi in societatibus, animalium certam regulam dari non posse testatur, & ideo consuetudini locorum vbi tractantur standum esse credit, & in fine dicit quod multiplicitas casuum scribi nequaquam possit, & ideo quod æqualitas iustitiæ ad arbitrium practicoꝝ hominum relinquenda sit.

Amplia quarto regulam procedere etiam quando in societate vnus posuit pecuniam, alter verò operas tantum, tunc enim partes lucri debere esse æquales affirmat *id. Oinot. pract. loc. num. 12. secundum gl. in l. 1. C. pro soc. & Oinot. §. de illa num. 5. & Menoch. de arbit. iudic. lib. 2. cent. 2. cas. 125. num. 3.* vbi tamen hoc verum dicit quando industria vnus, pecunijs alterius correspondet, prout in dubio facit, *ad tex. in l. cum duob. §. si in coennda, ff. pro soc. non verò quando pecunijs non correspondet* (quod

(quod arbitrio iudicis relinquendum esse testatur) hoc enim casu arbitrio boni viri diuisio erit facienda, ita vt quantum contulit opera, tantum lucri accipiat.

Est tamen notandum in hac 4. ampliacione quod *Pisanelia in verb. societas §. 1.* agens de diuisione lucri inter socium ponentem pecunias, & socium ponentem operas, voluit ponentem operas, primò tantumdem de lucro capi posse, quantum est capitale ponentis pecuniã, deinde de reliquo lucro fieri diuisionem æqualem inter eos; sic enim ait ipse: Si do tibi centum, & tu ponis operam, in fine anni facta ratione ego accipiam illa centum, & tu pretium personæ tuæ siue industriæ, quod ponimus esse, siue valere alia centum, potest hoc quidquid supererit de lucro accipiam ego medietatem occasione pecuniæ meæ, & tu aliam medietatem occasione tuæ personæ: ficille.

Verum enim verò hanc *Pisanelia* sententiam merito *Ang. in verb. societas, l. q. 17.* confutauit, opera enim cuiusq; dicitur fructus eius, *l. 3. & seq. ff. de oper. seru.* & opera hominis est diurnum officium *l. 1. ff. de oper. liber.* Ergo opera ponentis operas haberi non potest tamquam fors principalis, quia non à principio in commune confertur.

Hinc sequitur Angeli sententiam concludere videtur *Azor. in inst. moral. par. 3. lib. 9. tit. de societ. & man. cap. 4. quæst. 1. littera D,* quod pars in casu huius quartæ ampliacionis tali modo sit facienda: Ponens pecuniã v. g. centum, in fine societatis resumit sibi illa centum (hoc extendit *Munnoz. de ratioc. cap. 21. nu. 5.* posse fieri statim finita societate, non obstante, quod adhuc non sit liquidatum an amiserit vel lucrata fuerit societas) deinde lucrum si quod superest diuiditur æqualiter inter ipsum & ponentem operas: hoc etiam tenet *Bal. in l. 1. q. 1. C. pro soc. & tradit Oinot. in st. de societ. lib. 3. §. de illa, num. 5. & 6. & testatur idem tenere Gail. 2. obs. 34. post Pau. Ang. & multos alios.*

In hac re casus distinguit *Armilla. verb. societas. num. 3.* aut enim (inquit ipse) reperitur damnum capitalis in toto, vel in parte: aut inuenitur tantum capitale sine lucro: aut denique capitale cum lucro: si reperitur damnum capitalis, qui posuit illud sustinebit, quia semper dominus est pecuniæ: si capitale remansit vel in toto, vel in parte, erit Domini, & qui posuit operam, eam perdet: si deniq; ultra capitale lucrum inuenitur, capitale integrum restituetur Domino, & lucrum æque diuidetur, si tamen industria alterius socij æquiuauerit capitali, quod practicus vir omnibus consideratis arbitrabitur; Hæc *Armilla.*

Repetit hanc ultimam partem concordantem cum supradictis *id. Azor. d. cap. 4. quæst. 4.* vbi cum *Soto lib. 6. de iust. & iure quæst. 6. art. 1.* subiungit non esse comparandam operam tum tota pecuniæ quantitate, sed tantummodo cum emolumento & commodo pecuniæ, & declarat quomodo intelligendæ sint leges dicentes operam vel industriam

plerumque tanti, vel pluris aestimari; quod vide & tene menti in presenti materia, quia *Munnoz. inf. citatus, & Pet. de vbal. in tra. de duob. frat. par. 4. in prin. & quest. 2.* videntur affirmare, quod quando opera correspondet nedum interfusurio pecuniae, verum etiam ipsi sorti principali, diuidenda sit illa pecuniae quantitas, secundum Pisanell. sententiam supra relatam; licet secus sit quando opera correspondet tantummodo interfusurio pecuniae. Videatur omnino ille, quia hanc materiam exactissime tractat.

14 Extende interim hanc quartam ampliationem procedere nedum in lucro, verum etiam in damno; Hoc enim aequale etiam debet esse interponentem pecuniam, & ponentem operas, quare si finita Societate nihil superest, nec etiam capitale, quia forsan concrematum est, vel aduersa fortuna deperditum. Ille qui posuit operas tenebitur ad dimidium capitalis, *l. cum duobus, S. si in coeunda, ff. pro soc.*

15 Intellige tamen hanc extensionem procedere solum in casu, quo operae responderent tantummodo interfusurio pecuniae, nam si correspondissent etiam sorti principali, tunc non teneretur ponens operas ad dimidium capitalis, sed sufficere ei deberet damnum tantummodo operarum. Et ratio est, quia quando pericula ponentis operas, labor, & industria ipsius, interfusurio non solum pecuniae; sed etiam sorti principali respondent, quasi pretium, & capitale reputatur, & ideo satis est, ut seruetur aequalitas si ponens operas damnum operarum sentiat, *Munnoz. de ratiocin. computat. 22. n. 14. in fin.* vbi dicit hanc sententiam exornatam fuisse a Socin. *conf. 265. col. 6. vers. confirmatur.* Videatur, quae dicam inferius *hoc eod. cap. n. 45.* Hanc intellectionem probat *Armit. verb. Societas, n. 2.* qui licet nimis generaliter loquatur dicendum tamen est loqui in terris nostris, nimirum in casu quo opera socij responderet, tam interfusurio pecuniae, quam sorti principali.

17 Intellige secundo eandem extensionem quartae ampliationis non procedere in socia animalium. In hac enim conditio est, ut animalia sint periculo eius, qui ea dat in sociam, itaut si casu fortuito in totum, vel in partem pereant, vel deteriora reddantur, detrimento eius sit, qui illa in Societatem dedit. *Azor. loc. cit. cap. 8. ver. 10.* vbi dicit esse rationem, quia qui dat in sociam animalia, non desinit esse Dominus.

18 Restringe tamen hanc secundam intellectionem non procedere quando eo pacto dantur animalia in sociam, ut illa sint communia, & diuidantur cum fructibus; nam licet tale pactum sit praeter non contra naturam Societatis, tamen posse fieri testatur *Azor. loco inf.* Quare hoc casu damnum animalium non erit totum illius, qui ea dat in sociam, sed si in totum perierint, v. g. centum, quinquaginta rusticus debet restituere; si in partem perierint, quod remanet aequaliter est diuidendum. *Azor. loc. citat. vers. queres in idem.*

Restrin-

19 Restringe secundo eandem secundam intellectionem non procedere quando animalia dolo, vel culpa socij perierunt, vel deteriora reddantur, nam tunc damnum, & detrimentum totum spectat ad illum socium, ita *Azor. loco cit.*

20 Restringe tertio supradictam secundam intellectionem non procedere quando animalia dantur aestimata, & casu fortuito pereunt. Tunc enim periculum commune est, ita concludit *Bal. in l. si pascenda, C. de pact. secus autem si dantur in aestimata, nam periculum solum est Domini ratione dominij secundum Azor. d. cap. 8. vers. 10. de soc. & mand.*

21 Restringe quarto supradictam secundam intellectionem non procedere quando pactum appositum fuit, ut is cui dantur animalia, ea suscipiat suo periculo: Nam hoc casu damnum solius erit accipientis animalia, *Azor. loc. cit. vers. sed dubia,* vbi licet primo dicat tale pactum esse contra naturam, & substantiam Societatis, iuxta omnium Theologorum, & Iurisconsultorum opinionem, tamen probabile illi videtur, quod tale pactum sit licitum, tam in Societate negotiationis, quam in focia animalium; & in fine, quod tale pactum sit frequenti vsu receptum testatur. Huic quartae restrictioni aduersari videtur, quod dicam inferius *hoc eod. cap. n. 46. & seqq.* Verum concilia prout ibi n. 50. & 51.

22 Amplia quinto regulam procedere non solum inter illos, qui expressè contractum Societatis ineunt, verum etiam inter duos fratres, vel inter patruum, & nepotem, qui simul habitarent, & socialiter viuerent; Nam si v. g. ex operibus vniuscuiusque, & salarijs aliquid emerent, aequaliter diuisio rerum emptarum facienda erit, itaut si duo essent, duae partes faciendae aequales, si tres, tres, & ita in capita, *Pet. de vbal. par. 4. de duob. fratrib. quest. 10.* vbi aliquas fallentias ponit quas vide apud eum.

23 Amplia sexto regulam procedere etiam in massarijs, & suppellectilibus Societatis, per Societatem acquisitis; Nam in his aequalis etiam fiet diuisio, pro rata scilicet quam quisque sociorum habet in Societate, *Pet. de vbal. tract. Societ. 31. quest. & Bal. in l. 1. vers. 13. quæro, C. pro socio.*

24 Limita tamen primo regulam non procedere quando capitale non fuit aequale, ut quia eandem pecuniae quantitatem socij non contulerunt, secundum *gl. in verb. aequales, in st. de Societ. in prin.* Tunc enim arbitrio boni viri facienda erit diuisio, *Mench. de arbit. lib. 2. cent. 2. cas. 125. n. 4.* vbi adducit rationem, & nu. 5. dicit habendam esse considerationem, ut qui plus contulit, plus accipiat, allegat. *Bal. in l. 1. quest. 4. C. pro soc. Socin. Tun. conf. 74. n. 8. lib. 2. Paris. conf. 85. n. 12. 13. lib. 1. & alios.* At verius hoc etiam casu dici potest, partes debere esse aequales, ratione, & respectu sortis, licet alter plus lucri sentiat. *Dixi superius in ampliat. primum. 4.*

25 Extende hanc primam limitationem procedere etiam si pactum fuerit inter socios, ut ille, qui minorem portionem in Societate contulit, aequalem

I 4

lem

lem habeat lucri partem, ac ille, qui maiorem portionem impendit hoc enim casu, nec partes lucri debent esse æquales. Et ratio est, quia tale pactum non valet. *Couarr. lib. 3. var. reso. in. 3. vers. ex hoc dubio; vbi confutat contrariam opinionem Corn. in cons. 187. lib. 3. vers. nec obstat.* In nostram opinionem inclinatur *Azor. inst. mor. lib. 9. par. 3. de Societ. c. 5. vers. sexto queritur.* vbi hoc tamen limitare videtur, quando vnus pecuniam  
 26 in commune confert, & alter operam tantum, quæ pluris æstimatur, quam pecunia socij; Nam tunc posse valere pactum affirmat, quod partes lucri æquales esse debeant, quia potest is, qui operam ponit, eam alteri socio locare minori pretio.

Limita secundo regulam non procedere quando easdem operas socij  
 27 non contulerunt, vt puta si duo fratres, vel alij socialiter viuentes agrum laborauerunt, & vnus eorum plures haberet filios operarios; Tunc enim æqualis non fiet diuisio, sed deductis de communi expensis in laboritio factis, lucrum in capita diuiditur, itaut plus lucri consequatur socius, qui habet filios, quam alter. *Ang. Aret. inst. de Societ. §. socius, num. 1. vbi dicit, quod hoc casu non debet obesse, quod operarij filij sint, quia eorum opera, & labore acquirere possunt. citat. l. cum oportet, §. sic etiam, C. de bon. quæ lib. & subiungit hoc notandum esse perpetuo, quia infinitas lites inter fratres rusticos vidisse testatur. Hanc limitationem probat etiam Bal. in l. si patruus, vers. sed pone, C. com. vt. iud. & ibi Salicet. in fi. & in tract. de duobus fratr. ad addit. tractat. Bart. vers. sed pone, quod essent, nu. 19. & vers. primo quero, n. 35. & Bart. in cons. 186. incip. Cuociarellus, & id. Bal. in cons. incip. in Christi nomine, Amen. lucra socialia, vbi consuluit faciendam esse diuisionem per capita, quando fratres, & nepotes multa eorum laboribus quæsiuerunt: Videatur *Pet. de Perus. de duob. fratr. p. 4. quæst. 3. circ. med. vbi dicit pro ratione, quod pars fructuum cedit pro operibus, & ideo illud, quod quis lucratur ex opera sua debet habere præcipuum, citat. l. cum duobus, §. fratres, ff. pro soc. & id. Pet. de Perus. qu. 34. par. 11. vbi insuper dicit, quomodo facienda sit diuisio mortuo patre, quando pater quatuor habebat filios, cum duobus quorum multa lucratus fuit, & alij duo nihil lucrabantur. Videatur etiam *Franc. Por. in tract. de duob. fratr. par. 2. q. 66.***

Extende hanc limitationem secundam procedere etiam si filij fratrum essent impuberes. Nam & ipsorum aliqua opera esse possunt, l. certum, ff. de rei vend. l. fin. ff. de lib. ca. Quare istorum partes arbitrio Iudicis relinquendæ sunt, itaut, qui plus de opere ponit, plus de lucro percipiat ad tex. in l. si Societatem mecum, & l. quid enim, ff. pro socio; secus autem si essent Infantes, l. fin. §. si minor, ff. de op. se. Nã cum horum nulla  
 30 sit opera. *Fl. in l. si infantis, ff. de vsuf. quem refert Bertach. in suo repert. lit. O, par. 3. verb. opera de mane. vers. 27. nulla itidem eis debebitur portio.* Imò hoc casu in partem illius, qui tales habebat filios computari debent

blunt alimenta filijs data, secundum Bal. in l. si paterno, C. de neg. gest. ita vt plus lucri acquireret socius, vel frater, qui nullos habet filios, quam alter: Hoc etiam videtur tenuisse *Pet. de Vbal. in suo tractatu societatis*, qui tamen subiungit secus esse si à dictis infantibus aliqua perciperetur opera digna alimentis. Tali enim casu voluit quod nulla alimentorum restauratione facta, lucrum æqualiter inter socios vel fratres diuidatur.

Extende secundo eandem secundam limitationem procedere etiam  
 31 in casu quo alter ex socijs siue fratribus socialiter viuentibus, haberet vxorem, quæ ligonizando sicut masculus opera rusticalia exerceret; Nam tunc plus lucri habebit socius qui habet vxorem, quam alius, facit *l. rei iudicate, cum l. seq. ff. sol. mat. & ibi Alex. & Bal. vbi dicunt foeminas admitti ad lucrum laboritij, si posuerunt operas sicut masculi, ligonizando verbi gratia simul cum masculis: Omnis enim labor non debet esse vacuus à mercede. Specul. in proemio. vers. hoc ergo. Nec obstat vxor teneatur operari in domo eius à quo recipit alimenta, gl. in l. sicut, ff. de oper. lib. nam hoc intelligendum est de obsequialibus operibus, non de industrialibus per id quod dicit Bal. in auth. ex testamento col. 7. C. de collat. & signo. de hom. cons. 63. & id. Bal. in l. si vxorem, C. de cond. inf. & per tex. in l. sicut, ff. de oper. lib.*

Intellige tamen hanc extensionem secundam quando mulier ligonizando cum alijs non desinisset præstare debitas operas obsequiales, nam si eas præstare desinisset, ex eo qui ipsa cogi poterat ad eas præstandas, *Flo. in l. sed sicuti, §. quoniam, ff. de vsuf. & ibi tex.* Imò pro talibus operibus obsequialibus mulier alimentabatur, secundum DD. iure videtur quod pars dicti lucri quæ ligonizando ei competit, debet sibi compensari cum alimentis, ad tradita per *Bertach. in 1. part. repert. verb. compensatio. vers. 23. secundum Bal. ab eo relatum, in l. si constat. in 1. col. in fin. vers. item sit. cum vers. seq. C. de compens. & arg. l. si quis à liberis, §. sed si filius, ff. de lib. agn. & l. ceterum, ff. de rei vend. operæ enim, pretium & æstimationem recipere possunt, d. l. cum duobus, §. si in coeunda, ff. pro soc.*

Restringe supradicta, & præsertim eandem limitationem secundam  
 36 procedere solum in diuisione fructuum perceptorum de re conducta, hi namq; in capita non in stirpes diuiduntur, per ea quæ dixi in limitatione & voluit *Bal. in l. 1. C. pro socio.* secus autem in diuisione fructuum  
 37 rei communis. Nam horum pars dimidia debetur respectu proprietatis fundi, & diuiditur solum inter socios, vel fratres socialiter viuentes, qui sunt proprietarij illius rei, d. l. cum duobus, §. si in coeunda, ff. pro soc. Alia verò dimidia pars iure operum percipitur, pro cultura & cura, & in capita diuiditur, vt patet per ea quæ docet *Bal. in cons. incipien. in nomine Domini Amen. super primo puncto.*

Restringe secundo supradictam limitationem secundam nec item  
 38 procedere quando lucrum factum fuerit cum bobus communibus, nam

ex quo duæ hoc casu faciendæ sunt partes, altera scilicet pro bobus, altera verò pro operibus, pars pro bobus attribui debet socijs vel fratribus quorum erant boues, pro rata scilicet proprietatis quam habent in eis, vt consuluit *Bart. in cons. supra cit.* (licet *Bal.* contrarium tenuisse videtur in *d. l. i. C. pro socio*) Pars verò quæ operæ attribuitur in capita diuidetur secundum prædictam nostram limitationem. Videatur pro hac restrictione *Bal. in c. 1. 2. col. de benef. frat.* vbi ponit an hoc casu debeat haberi ratio operarum.

Limita tertio regulam non procedere (si agatur de damno) in societate in qua vnus posuit pecuniam, alter verò operam; Nam licet hoc casu vt supra dixi hoc eod. cap. ampl. 4. num. 10. lucrum æqualiter diuidi debeat, tamen in damno secus statuitur; ponens enim pecuniam duplici periculo substat, ponens verò operas, vni tantum periculo: Ille perditionis pecuniæ, & vsus negocij; Iste perditionis operarum & industriæ. Ita *Armil. verb. societas num. 2.* vbi subiungit hoc esse de natura societatis, & ideo licitum esse contractum, licet periculum sit inæquale, citat ad hoc *Caiet. eo. verb. societas*, vide superius hoc eodem cap. ampliat. 4. vers. *Intellige tamen num. 16. in fin.* vbi in quo sensu sit intelligenda hæc *Armillæ* sententia declarauit.

Limita quarto regulam in quæ sitis per fratrem cum pecunia Patris, in his enim partes non erunt æquales, sed mediætas lucri attribuitur operæ, & industriæ fratris negociantis, & hoc tamquam aduentitium fratribus mortuo Patre non erit conferendum *l. fin. C. de collat.* Alia verò pars attribui debet paternæ pecuniæ, & proinde hæc tamquam profectitia communicabitur fratribus mortuo patre *l. certum, ff. fam. ercisc.* Est opinio *Bart. in l. 1. §. nec castrense, C. de collat.* & cum eo transeunt *Bal. Pau. Cast. in l. cum oportet, C. de ho. quæ lib. Ang. cons. 85. col. 2. Rom. & alij. in auth. ex testamento, C. de collat. & in cons. 469. col. fin.* vbi dicit ab hac *Bartoli* opinione non esse recedendum, Et *Franc. viii. lib. 1. op. com. opin. 314. nu. 1.* vbi posita contraria sententia tandem hanc opinionem *Bartoli* verissimam putat, communem dicit, & in iudicijs & actu pratico obseruari testatur. Videatur quod superius dixi cap. 10. de lucro ampliat. 1. 1. vers. *Verum quod num. 41.*

Limita quinto regulam non procedere quando animalia ad laborandum data sunt vel deteriorata, vel in totum perierunt. Nam nec hoc casu damnum in capita æqualiter diuidetur, sed ex quo plus lucri recipiet Dominus vt dixi superius hoc eod. cap. limit. 2. vers. *restringe 2. num. 38.* ita & damnum, & periculum, illius solummodo erit. *rex. est in l. si id quod vnus. in prin. & S. item Celsus, ff. pro soc.* Quod tamen intelligit *Pet. de Val. 4. par. quæ. 4. de duobus frat.* Primo nisi aliter conuentum fuerit, secundo nisi culpa alterius contingeret, quia tunc periculum sequitur culpabilem, *d. l. cum duobus. §. quidam sagariam. & 3. nisi boues essent*

essent positi in societate, quia tunc ratione societatis commune dicit esse periculum. *Azor. inst. mor. par. 3. lib. 9. cap. 8. vers. quæres item. vbi exemplum ponit.* Vide quæ superius dixi hoc eod. cap. ampl. 4. vers. *intellige secundo, num. 17. vsq; ad num. 22.*

Limita sexto regulam non procedere quando inter socios fuerit conuentum quales deberent esse partes lucri & damni, nam tali pacto standum esse affirmat. *Oinot. in st. lib. 3. de societ. per tex. ibi in princ. & hoc repetit in §. de illa. eod. tit. num. 1. & 2.* vbi etiam declarat esse intelligendum procedere solum hanc limitationem quando quis plus rei contulit vel operæ, aliàs tale pactum non valere concludit, tamquam contra naturam societatis positum, de natura enim societatis est vt in diuisione lucri & damni, æqualitas seruetur. Et faciunt dicta per *Ang. Aret. in st. de societ. §. de illa in princ. & num. 1.* vbi hanc limitationem dicit procedere quando pactum non fuerit penitus contra substantialia societatis; Nam si secus, dicit nullum esse pactum, & propterea non esse seruandum: Probant hanc limitationem communiter *DD. in inst. de societ. in prin. per tex. ibi. & per l. si non fuerint, ff. pro soc.* vbi habentur formalia: Si non fuerint partes societatis adiectæ, æquas eas esse constat: si verò placuerit vt quis duas partes, vel tres habeat, alius vnã, an valeat? Placeat valere. Et faciunt quæ dicit *Pet. Fer. in for. lib. in cau. soc. cap. 2. num. 1.* vbi in qualibet societate potest quilibet pacisci de parte lucri & damni, & *Crau. cons. 173. Petr. Duen. reg. 152. in 2. part. & Menoch. de arbitr. lib. 2. Cent. 2. cas. 125. num. 6.* vbi non negat quin valeat pactum quod partes æquales sint etiam si vnus plus altero contulit, & ita declarasse testatur *Corne. cons. 187. col. 3. & cons. 166. col. 1. lib. 3.* Vide *Gayl. 2. obseru. 34.* vbi quomodo societas inæqualitatem damni & lucri sentiat, declarat.

Extende hanc sextam limitationem, valere tale pactum de parte lucri & damni non solum quando pactum fuit initum quod socius v. g. talem habeat partem lucri, si lucrum aliquod post societatem reperiatur; sed etiam quando conuentum fuit vt socius ponens v. g. pecuniam, certam partem habeat lucri, licet nullum lucrum finita societate reperiat. Talis enim societas, & pactum valet; *Armil. verb. societas. num. 17. & Azor. inst. mor. par. 3. lib. 9. cap. 4. sexid. queritur,* vbi hoc declarat dummodo pactum non sit vt in omne euentu capitale ponenti illud sit saluum, & citat. *Ang. societas. 1. num. 6. Rosel. eo. verb. num. 28. Siluestr. verb. societas num. 1. q. 18. & Armil. eo. ver. num. 17.* Hoc etiam repetit idem *Azor. loc. cit. vers. 7. querit.* in conuentione quod ponens operas certam partem habeat lucri, siue multum, siue nihil lucretur, siue pereat pecunia principalis, siue maneat salua, nam tali modo posse contra hi affirmat, licet hoc casu dicat potius esse initum contractum locati, & condicti, quam societatis: Citat *Ang. loc. supradicto. Pisanel. societas. 1. §. 2. Siluestr.*

*Siluestr. eo. ver. 1. q. 3. & alios. Videatur circa hanc extensionem Pet. de Ubal. part. 4. quæro primo.*

45 Extende secundo eandem sextam limitationem procedere etiam in casu quo conuentum fuerit inter socios vt ponens pecuniam sentiat totum damnum, lucrum vero sit commune. Nam hoc casu secundum huiusmodi conuentionem diuisio facienda erit, valere namq; tale pactum concludunt DD. *per d. l. si non fuerint. S. ita coiri. ff. pro socio, vbi est casus in terminis: Nec tale pactum sapit vsuram, nam supponimus tantam fuisse industriam ponentis operas, vt corresponderet nedū interusurio pecuniæ posita a consocio, verum etiam sorti principali, prout fieri posse tradidi supra ampl. 4. vers. intellige tamen. num. 15. & euenire potest quando v. g. ponens operas solus nauiget, solusq; subeat pericula, & pecunia a consocio posita parua sit quantitatis. Videatur Menoch. de arbit. lib. 2. cent. 2. cas. 125. num. 3. vbi ex Petro de Perus. dicit esse in iudicis arbitrio quando opera respondeant sorti principali; alios etiam refert, & præsertim Socin. iun. cons. 74. num. 12. lib. 2.*

46 Intelligi tamen hanc secundam sextæ limitationis extensionem, non procedere quando fuerit inter socios conuentum, vt ponens operas suo periculo suscipiat pecuniam alterius, ita vt in omnem euentum, quod pecunia in toto vel in parte perierit solum damnum sit ponenti operas, & saluum capitale ponenti restituat: Hoc enim casu diuisio secundum talem conuentionem facienda non erit, quia ex eo quod non valet, pro non adiecta censetur conuentio, *Dec. cons. 116. & Azor. inst. mor. par. 3. lib. 9. cap. 3. quinto quaeritur, vbi multas quaestiones quæ ad hanc rem faciunt soluit, opiniones Theologorum, Summistarum, iurisq; tam Civilis, quam Canonici interpretum, ponit, & concludit pacitionem huiusmodi esse iniquam, & contra æquitatem, & naturam societatis, deinde relatis hinc inde contrarijs opinionibus, affirmat tutiorem esse sententiam quod tale pactum per se vsurarium sit. Hoc probat etiam Armil. verb. societas. num. 8. vbi fama & animæ perniciosum esse hoc pactum testatur, & num. 6. vsurarium appellat qui deposuit apud mercatorem pecunias cum intentione & pacto, vt saluo capitali aliquid lucratur, mutuum namq; hoc dicit esse.*

47 Intellectionem hanc extende procedere non solum in societate vt dixi in qua vnus ponit pecuniam, alter operas, sed etiam quando socij æqualiter ponunt pecuniam; Nam tunc pactum quod capitale vnus sit saluum, ex quo contra naturam societatis est, nec valere affirmant DD. *per gl. notab. in d. l. si non fuerint, super verb. societati. ff. pro soc. & per cap. 1. de praeuar. & Pet. de Perus. de duob. frat. part. 4. quæro primo ver. dubitatur.* 48 vbi talem contractum esse vsurarium tenet, & istam opinionem tenendam esse arbitratur tamquam tutiorem fauore animæ quam dicit ceteris rebus præferendam esse, *per l. sancimus, C. de sac. eccles.* Quare nec secun-

secundū huiusmodi conuentionem diuisionem esse faciendam æquum erit.

49 Eandem intellectionem extende secundo procedere etiam de parte facta de parte capitalis salua. Hoc enim non obstante secundum talem conuentionem diuisio non fiet, quod namque pacisci non possit, quod nec etiam pars capitalis salua remaneat, tenet *Armil. eo. verb. Societas, n. 9.* vbi rationem dicit esse, quia ratione partis saluæ hoc mutuum esset, & consequenter vsura, vel saltem inhonesta Societas, quia æqualitas in isto contractu non seruaretur.

50 Supradictam intellectionem extende tertio procedere etiam in societate animalium, in hac enim, nec pacisci potest de capitali saluo. *Armil. verb. Societas, n. 19.* quare eo pacto non obstante diuisio erit facienda, ac si illud non fuisset adiectum. His aduersantur aperte dicta per me 51 superius *hoc eod. cap. ampl. 4. vers. restringe 4. num. 21.* sed licet illa Doctrina Azorij posset forsan sustineri propter frequentiore receptione, de qua ipse testatur, tamen cum agatur de peccato ita conciliarem, seu potius declararem illam scilicet Azorij Doctrinam posse forsan procedere quando capitale saluum remaneret per viam assecurationis, nimirum quando facto contractu, quod ponens animalia, vel pecuniam sentiat damnum capitalis si pereat, postmodum ponens operas, pænes quæ scilicet posita fuerunt animalia, vel pecuniæ, illorum assecuret de capitali salute, recipiendo tria, vel quatuor, vel quinque pro centenario: Hoc enim casu vigore huius assecurationis, quæ licita est etiam inter non socios, capitale saluum remanebit absque nota vsuræ, *Armil. verb. societas, num. 6. circ. fin. vbi exemplum tradit, & dicit licitum esse contractum, & n. 19. vbi eadem repetit, & procedere etiam in socida testatur; secus si non vigore huiusmodi assecurationis, ad tradita per eundem Armil. locis superius citatis.* Quod nota, & tene menti perpetuo, quia cum casus occurreret, poteris docere cautelam quomodo absque nota vsuræ capitale saluum, quis habere possit, & magnum ex hoc acquires honorem. Hanc sententiam post hæc scripta inueni sequutam fuisse etiam *Azor. inst. mor. de societ. par. 3. lib. 9. cap. 4. col. 6. vers. at verò, vbi Nauarum citat.*

52 Limita septimo regulam non procedere in sorte principali; Hæc enim diuidi non debet, sed si integra permanferit sine lucro, ad eum iure communi pertinet, qui eam in Societate contulit, nec pars illius est danda socio ponenti operas: Dixi supra hoc eod. cap. secundum *Armil. ampl. 4. vers. verum enim verò num. 11. 12. & 13.* & est opinio Bald. in l. 1. C. pro socio, num. 1. *Ang. in ver. societas. num. 10. & Azor. inst. mor. par. 3. lib. 9. cap. 3. primò quaeritur, ver. altera opinio, vbi posita contraria opinione, hanc limitationem reuera certissimam esse testatur auctore Sancti Thomæ 2. 2. quaest. 78. art. 2. ad quintum, cuius verba ibidem referuntur;* & in-

& inferius optimè soluit nonnulla fundamenta contrariae sententiae, quod apud eum omninò vide.

Extende hanc septimam limitationem procedere etiam in foccida  
53 animalium. In ista enim fructus vaccarum datarum ad pascendum, & gubernandum communicantur, sed vacce remanent precipuè Domino; sicut committitur Societas in fructibus fundi cum colono, & ager rema-  
54 net Domino *Bal. in l. cum duobus, §. si in coeunda, ff. pro soc. & Bal. in l. 1. quæst. 2. C. pro socio*, vbi dicit Societatem fieri in fectu animalis dati in foccidam eo remanente saluo ipsi Domino.

Extende secundo eandem septimam limitationem procedere etiam  
55 in damno fortis principalis; si enim illa casu fortuito perijt, socius ponens operas non sentit damnum illius pro parte, sed totum est socij ponentis pecuniam. Est opinio *gl. in l. si non fuerint, ver. socius, ff. pro soc. & Bart. & Bal. in l. 1. C. pro soc.* & ita etiam videtur sentire *Azor. inst. mor. d. p. 3. lib. 9. c. 3. vers. tertio queritur*, vbi contrarias opiniones refert, & disputat, & paulò post *vers. quartò queritur*, determinat quid dicendum si pactum deductum fuerit, vt socius ponens operas sentiat damnum pecuniae principalis si perijt, & docet quando tale pactum sit iustum, & quando iniquum.

Sublimita tamen septimam hanc limitationem in casu, quo pactum  
56 fuerit inter socios, vt finita Societate diuidatur equaliter fors principalis si integra permanferit; Nam illo pacto standum esse affirmat *id. Azor. inst. moral. d. cap. 3. vers. secundo queritur*; vbi posita ratione dubitandi, & inferius soluta, hanc opinionem tenere videtur per *gl. in cap. plerique 13. q. 3. in verb. negotiatoribus, & refert Bal. in l. 1. C. pro soc. Contra. de contract. q. 93. vers. ex illa conclusione, & alios quos apud eum vide.*

Sublimita secundo eandem septimam limitationem quando consue-  
57 tudine illa fors principalis censenda esset communis, *Azor. d. c. 3. vers. sed quid dicendum*. Consuetudo enim debet seruari, nisi contineat apertam iniquitatem, quia actum videtur, quod est consuetum, *l. quod si nolit ff. de edil. edict.*

Sublimita tertio supradictam septimam limitationem quando inter  
58 socios pactum adiectum fuerit, (prout licitè fieri potest) quod periculum pecuniae sit commune. Tunc enim tacitè actum intelligitur, vt & ipsa pecunia principalis fiat communis, ita quod in fine si capitale superest, vel in totum, vel in partem, diuidatur. Ita *Armill. verb. Societas nu. 10.* vbi dicit in hoc sensu intelligendam esse *gl. 1. 4. q. 3. in cap. plerique, & Panorm. in cap. per vestras, de don. int. vir. & vx. alias licitus non esset contractus, quia de natura societatis est, vt capitale stet periculo ponentis, Armil. eo. ver. Societas, n. 1. & 5.*

Supradictae septimae limitationi aduersatur apertè *gl. in l. 1. §. si con-  
59 uenerit, ff. de positi, & gl. in l. 1. C. pro soc.* vbi principalem pecuniam esse  
vtrique

vtrique socio communem ipso iure determinatur. Verum in hac re maximam esse difficultatem, & DD. altercationem testatur *Munnoz. de ratiocin. comput. 22. n. 2.* vbi etiam opiniones varias Iurisperitorum refert, casus distinguit, & concludere videtur, *n. 14. 15. 16.* quod quando opera ponentis operas tanta esset, vt responderet ipsi forti principali socius, qui pecuniam posuit teneatur refarcire dimidietatem aestimationis operarum, & industriae ammissae; Pulcherrimas ad hoc adducit rationes, iura, & DD. auctoritates.

Quare reprobara cum Azorio opinione dictae gl. tu ne discedas a supradicta nostra septima limitatione, quae æquior, & verior est; et si casus occurrerit distinguas cum *Fer. in form. libel. in cau. societ. nu. 4. c. 4.* hoc modo: si actum est inter partes quid fieri debeat, tunc standum est conuentioni, *l. 1. §. si conuenerit, ff. de positi, & ita tenet Salycet. in l. 1. C. pro soc. n. 2. & Bal. ibi. n. 6. vers. tu dic; Molin. de inst. disp. 416.* si nullum sit pactum, tunc inspicere an super hoc aliqua sit consuetudo, & ea seruanda est. *Azor. inst. mor. de soc. lib. 9. par. 3. cap. 3. vers. sed quid dicendum, & tenet Munnoz. de ratiocin. d. comp. 22. n. 1. & Bal. in d. l. 1. C. pro soc. n. 6. vers. tu dic. & id. Azor. loc. cit. vers. primò queritur*, vbi dicit etiam, quod capitale  
60 de consuetudine non communicatur. Quam sententiam sequitur *Alex. cons. 117. num. 4. vol. 1. & Iacob. de Aret. quem refert Ferar. loco sup. cit.* vbi etiam sentit hanc consuetudinem fundari super iure scripto: Si denique nullum adsit pactum, vel nulla in hoc consuetudo. Tunc determinata prout in nostra principali limitatione, et si ei adhibere volueris declarationem *Munnoz.* quam supra retuli *n. 59.* poteris hoc facere, quia ipseus sententia mihi minime displicuit.

Limita octauo regulam non procedere in diuisione fructuum facien-  
61 da inter plures fratres communiter viuètes, & indiuisam hereditatem tenentes, quãdo vnus eorum lucratur, & separatim ponit lucra, alij verò laborant, & colunt agros communes; Nam isto casu diuisio fructuum æqualis esse non debet, sed vt non perdant labores fratres laboratores deducunt de corpore communi ante omnia sumptus, si quos de proprio posuerunt, & etiam operarum personalium mercedem, *secundum Bal. in cons. incip. in nomine Iesu Christi, Amen. Ex communione hereditatis, per iura ibidem ab ipso alleg.*

Limita nono regulam non procedere quando ab altero ex socijs So-  
62 cietati renunciaretur callidè, malitiosè, & in fraudem Societatis; Nam tunc diuisio æqualiter non fit, sed luctum acquisitum à Societate proprium est alterius socij, damnum vero dimiditur cum socio sic callidè renunciante. *Dixi superius cap. 6. quib. mod. fin. Societ. limit. 4. n. 66. sec. Di-  
not. in §. manet. inst. de Societ. n. 3.*

Limita decimo regulam nec itidem procedere quando quis ex socijs  
63 ante tempus Societati renunciaret, prout dixi in *cap. 6. quib. mod. fin. so-  
ciet.*

*ciet. limit. 1. num. 50. & seqq.* Tunc enim lucrum postea perceptum commune quidem erit, sed damnum erit solius renunciantis, per iura, & auctoritates loc. cit. à me adductas.

Limita 11. regulam non procedere quando socius administrans noua negotia aggreditur, & exercet. Nam tunc si aliquid damni ex ipsa negotiatione noua euenit, ipsi non societati attribuitur, faciunt optime tradita per Franc. Curt. min. conf. 19. Aymon. Crauet. conf. 132. nu. 2. vol. 1. & post eos Bertach. in suo repert. par. 1. verb. administrator noua col. 3. fol. mihi 66. per l. si negotia ff. de neg. gest. quorum dicta licet sint circa administratores, tamen bene conueniunt socijs, qui eademmet ratione ad damna, quæ extra rem Societatis veniunt non tenentur.

Limita vltimò regulam non procedere quando socius Societatem absenti renunciat; Nam antequam ad eius notitiam perueniat, quicquid quærit renuncians in communionem venit, sed damnum æqualiter non diuidetur, sed solius erit socij renunciantis: sicut è contra quicquid absens acquirit non communicat, sed sibi quærit, & damnum commune intelligitur, l. sed socius, §. si absenti, ff. pro socio; secus autem si absens scriuisset renunciationem, nam tunc licet lucrum, quod ipse acquisisset non esset diuidendum actione pro socio cum renunciante, quia quo ad illum Societas est finita, tamen tenetur negociorum gestorum, eo ratum habente, qui renunciauit, l. vt in conductionibus, ff. pro soc. & l. negocia, ff. de neg. gest. quod est menti tenendum.

Extende hanc limitationem vltimam procedere etiam in pluribus fratribus, & socijs omnium bonorum, quorum aliqui clam emerent possessionem pro se, vel aliquid aliud quærent. Nam ex eo, quod iste secretè pro se negociando videtur tacitè renunciare Societati, l. itaque, ff. pro soc. & d. si absenti, & ibi Bal. tenetur lucra communicare, & damnum sibi imputare: Debet enim fieri renunciatio, ita quod perueniat ad notitiam socij, d. l. actione §. renunciare, ff. pro socio. Et ideo renuncianti soli hoc nocere debet, d. si absenti.

### ARGUMENTVM.

Inter socios competit actio pro socio, quando, & ad quid competat.

### SVMMARIVM.

- 1 Actio pro socio datur inter socios, & ad quid datur.
- 2 In his, quæ Societate dependent, simul concurrunt actiones, communi diuidendo, & pro socio.

- 3 Societas potius dicitur, quam locatio, inter locatorem ad partem fructuum, & conductorem.
- 4 Inter locatorem, & conductorem competit actio pro socio.
- 5 Conciliatur in hoc Bart. sibi contrarius.
- 6 In contractu Societatis, nedum actio pro socio directa competit, sed etiam actio utilis, & traduntur exempla.
- 7 Actio pro socio non competit quando socius de re communi, nomine suo contraxit.
- 8 Per actionem communi diuidendo actio pro socio tollitur, & n. 11. contraria opinio adducitur.
- 9 Actiones quando plures competunt, & vna eligitur, alie tolluntur.
- 10 Actiones plures ex eodem facto si competant, & vna sit intentata, altera excluditur.
- 12 Proposita actione legis Aquilia, vel furti, actio pro socio tollitur, & è contra.
- 13 Furti tenetur, qui dolo malo rem communem amouit, sicut quire communi ad alium usum, quam destinatum vitur.
- 14 Datur actio pro socio, vt socius soluat tantummodo secundum soluere potest.
- 15 Socius carcerari non potest pro debito.
- 16 Dominus non potest exigi à Colono partiaro vltra quam facere potest, secus à Colono, qui nummis colit.
- 17 Socius particularis non potest à socio conueniri nisi deducto ne egoat: non.
- 18 Frater non debet conueniri in solidum, sed solum in quantum facere potest.
- 19 Socius an conueniri possit in solidum ad totum debitum, quando tali fauori à iure per se introducto expressè renunciaret: & quilibet potest renunciare fauori, &c.
- 20 Ponuntur aliqui casus quibus socius in solidum ad totum debitum conueniri potest.
- 21 Propter mendacium socius ad totum debitum in solidum potest conueniri.
- 22 Actio pro socio competit finita Societate.
- 23 Actio pro socio datur etiam non finita Societate, ad implendam, & perficiendam Societatem.
- 24 Si intempestiue renunciatum fuerit Societati, datur actio pro soc. ad interesse etiam ante finitum tempus Societatis.
- 25 Datur actio ante finitam Societatem ad impediendum socium ne faciat in re communi illud cuius gratia contracta non fuit Societas.
- 26 Vt patiat socium re communi vt datur actio etiam non finita Societate.
- 27 Durante Societate nascitur actio pro socio ad dolum, fraudem, vel culpam commissam.
- 28 Ad impensas, fructus, & alias personales præstationes agi potest etiam Societate durante.
- 29 In quacumque Societatis necessitate intentari potest actio pro socio ante finitam Societatem.